

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Albert Willebrand

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Albertus Willebrand/ U.I.D.
Eximiae Honoratissimaeq[ue] Matronae Gertrudis von Münster/ Funus indicit, &
ad eundum exequias Omnim ordinum Cives Academicos serio studioseq[ue]
invitat**

Rostochii: Kilius, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770493270>

Druck Freier  Zugang



Willebrand, A.,

in

G. v. Münster.

Rostock, 1663.

PROGRAMMA
Quo
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
ALBERTUS Willebrand/
U. J. D. Codicis Professor, Consisto-
riiq; Ducalis Adseffor,
Eximia Honaratissimæq; MATRONÆ
GERTRUDIS
von Münster
Funus indicit,
& ad eundum exequias *Muller*
**Omnium ordinum CIVES ACA-
DEMICO S seriò studioseq;
invitat.**



ROSTOCHII,
Typis JOHANNIS KILLI, Acad. Typogr. Anno 1663.





Mnes omnino homines
unam noctem manere , & sta-
tuerunt omnium temporum,
pii ac sapientes viri , & quivis
dies clarissimis documentis huic
rei miram facit fidem. Neque
verò homini tantum inevitabilis
ista lex est posita, sed etiam va-
stum hoc Universi corpus, atq; adeò totam Naturam
mortalitati subiectam esse, paulò attentiùs confide-
ranti clarissimum utiq; est. Si quis prima corpora,
ex quibus singula in mundo constant, intuebitur, sanè
ipsa illa, dum ex mutatione eorundem nunchoc pe-
rit, nunc aliud generatur, perpetuā vice aut nasci, aut
mori deprehendet. Ipse sol, qui principatum astrorum
jure suo obtinet, promus condusq; diei, dum cotidie
abs nobis discedit, & sub horizontem sese nostrum
subducit, nonnè interitum, quem decretorius ille al-
laturus semel est dies, minatur ? Quem cætera quoq;
sidera imitantur, quæ renascente luce, mori quodam-
modo, aut in nihilum redigi videas. Non adduce-
mus omnis nunc generis animantia, quæ profecto o-
mnia magnam illam & catholicam mortem exercere
videntur:

videntur: neq; è superiorum ætatum historiis vel *Carthaginem* aliquam vel *Hierosolyma*, vel ambarum victoris Romæ Urbium cadaver, aut quicquid hujus apud veteres sive bellis, sive hiatibus, sive paci noxiâ & rebus secundis exitiosâ luxurie perditum fuit, propone decrevimus: ex quibus omnibus cæcus sit qui non deprehendat, nihil omnino in hac rerum Universitate reperiri, quod non caducitati obnoxium sit, eundemq; interitum experiatur, qui homines & Urbes integras amplissimasq; solo æquat, ac cum ipso sæpè nomine etiam memoriæ mortalium subducit. Earum mihi Urbium casus ac vices contemplamini, quib; vel per hæc nostræ tempestatis bella, post homines natos acerima, aut Republicæ facies mutata est, aut imminuta libertas. Aut si Urbes nondum satis faciunt, quantum Regiones integræ, integræ provinciæ mutare soleant, eadem hæc tempestas nostra argumento erit minimè obscuro. Quia ergo fit, quod nos homunculi, cum illum rerum omnium interitum, tot gentes inter mortuas, tot urbium & oppidorum sive cineres, sive cadavera possim per hunc vastum terrarum orbem projecta videamus, unius è nostrum numero abitum tam ægrè feramus? Ab hac communi moriendi conditiōne neminem aut ætas, aut virtus sua, aut formæ venuſtas, neminem etiam potentia & honores exemerint. Hic nos aut prolixè fallimur, aut plurimum de mœre eorum, qui ex funere præsentinon leviter attinentur,

tur, deceſſorum arbitramur, ſi æqualem hanc rerum
omnium ad interitum festinantium ſortem attenſe lu-
ſtraverint, ſimulq; perſuaderint ſibi, eadem fati ne-
ceſſitate BEATÆ huic GERTRUDI mortem fuſſe
oppetendā, quā Universum hoc Naturæ corporuſtene-
ri demonſtravimus. Nos nec præter rem, necreceptā
præter conſerudinēm facturi videbimur, ſi præſtan-
tissimæ Matronæ historiam breviter, ſtyloq; eopſe,
quo ad nos omnis ea devoluta eſt (neq; enim quic-
quam immutare adlubuit) texuerimus. Prodiit itaq;
(habent verba) in hanc lucem hæc NOSTRA Lube-
cæ, 6. Febr. Anno 1510. Patrem ſortita, Virum Præxi-
mium, D.N. RODIGERUM von Münſter / Negociatorem impigrum. Matrem ELISABETHAM von
Dorn / Viraginem probam, Ampliſſimi Dn. HER-
MANNI von Dorn / Jcti & Cos. apud Lubecenses
prudentiſſimi germanam. Avum paternum, Dn.
HINRICUM von Münſter / Ampliſſimum pariter &
in Westphalia quondam, Reipub. Appenhulsens Cos.
primarium. Aviam paternam, ANNAM Wedenhoff/
ſeeminam laudatiſſimam, veteriq; & celeberrima
ſtirpe der Wedenhöſe / prosatam. Proavus paternus
erat, Præſtantissimus Dn. BERNHARD von Münſter/
Civis & mercator Appenhulsensis. Proavia paterna,
ANNA Schröders / matrona honestiſſima. Avus
maternus fuit, prædictus Dn. HERMANNUS von
Dorn / Senator Lubecensis. Proavia autem mater-
na,

na, ANNA Stiten. His orta majoribus postquam
lustrata sacro gurgite, inq; Christo GERTRUDÆ
acceperat nomen, pudore facta est, & formata mo-
nitis optimis, donec utroq; orbata parente, suscep-
retur abs Avunculo Perecum. Dn. JACOBO von
Dorn / admittereturq; hospitalitæ mensæ. Hinc de-
voluta est Rostochium, & degere jam Juveni extra
natale solum apud Patruelam Dn. HENRICUM von
Münster / Reipub. hujus Sedecimvirum, ac ad D.
Mariæ præfectum, contigit. Vbi quidem assuefa-
cta præceptis suorum exercitaq;, manente horum
imagine, bene & pudicè vitam instituit. Accessit pau-
latim habitus decor, nubilis ætas, & egregiam men-
tem honesta frontis timiditas spondebat. Itaq; de-
ducendâ cogitat (credo non sine Divûm Numine)
Perecumius & literatissimus Dn. JOANNES Bineke.
Civis hîc & mercator primarius, Patris NICOLAI, Se-
natoris oppidani gnatus unicus; videbatur is, cui da-
ret suos amores, satis dignus: nec cunctata ultra, con-
sensit in nuptias, sociumq; tori pertinaciùs delegit.
At ecce tibi, vix biennium novi conjuges, inter
complexus & colloquiorum svavitatem, superârant,
cum vulnere ô dolor! post omnium indignissimo, il-
le destituit orbem, reliquitq; nullo herede infelicif-
simam domum. Interim jacuit sola viduo cubili, &
quod maximum primo flore: Haud mora, ambie-
bat illam, annum post, Vir admodum Reverendus
atq;

arq; Clarissimus, Dn. M. DAVID TUNDER, Ecclesiastes hic apud Marianos vigilantissimus. Itum igitur est, neq; hoc sine fato, ad secunda vota: Sed ô rerum mortalium mixturam! stetit semestre hoc matrimonium, & hunc quoq; insperatum excidium poscenti reddidit cœlo. Cæterum anno 1640. 6. Junij, recens deserta, & cælebs facta, cum nihil ultra cineres & favillas superesset oculis, decrevit, exemplo Judithæ & Hannæ, sine conjugé legem fati sui expectare. Namq; viginti duos & amplius annos vidua, præparato ad mortem animo, cælestibusq; per pl. Reverendum & Excellentissimum Dn. HENRI-CUM MULLERUM, S. Theol. D. ac Profess. Pastoremq; Marianum amicum & Collegam nostrum conjunctissimum refecto mysteriis, 10. Octobr. hujus anni, circa 6 tam matutinam agere inter homines desiit. Vos quidē superstites FILI, Sororq; vosq; cæteri, si qui estis, cognati Affinesq; cogitabis, Deum qui supra nos negotiū curat, quicquid est ævi hujus, tanquam munus suū pro arbitrio disponere; Et nos vicissim ita paratos esse oportere, uti ea, quæ non in perpetuum, sed in certa tempora concessa sunt, repetenti Datori sine querelâ restituamus. Satis diu, pro ratione eorum quidem, quæ nunc currunt, seculorum, vobiscum OPTIMA illa vixit. Translata nunc demum eò est, ubi non amplius de caussario corpore, de membrorū lassitudine,

aut

1036

aut quavis alia incubentis morbi violentia queretur: ubi fallaciæ, fraudes, doli, invidiæ locum habituræ sunt nullum. Ubi DEUS omnia est in omnibus; Ubi ejus- cemodi idem ipse gaudia præstat, quæ nec oculo visa sunt ulli, nec ulli hominum cordi cognita perceptaq;. Sic itaq; vos geretis, ut non tam obitum desideratissimæ ægrè ferre, quam felicitatem, cui nunc transcripta est, minimè eidem invidere videamini. Illa secura spectat jam publicas clades, Turcarum proh dolor! irruptiones, imperiorumq; ruinas; quarum nos infelix ætas jam pars maxima sumus. Non verò id abs vobis exi- gemus, ut siccis planè FUNUS hoc vestrum oculis se- quamini, sed nec SOLONEM Atheniensem, qui sa- piens fuit unus ex septē, & legis scriptor solus ex septē, in hoc domestico luctu imitemini: Is posteaquam ex Nuncio à Thalete subornato, mortem Filii sui acce- perat, ita consternatus fuisse dicitur, utianimo repen- te totus conciderit, humili prostratus jacuerit, barbam utraq; manu evulserit, capillos vellicarit (quasi in calvi- tio quietior futurus) injectu pulveris os fædârit, pal- lium disciderit, planctuq; & ejulatu muliebri, cum summa spectantium admiratione & indignatione universum complevit forum. Lugetis non sine cau- sâ: Cavete tamen lugeatis sine modo. Atque hæc proponere sub finem voluimus, non quod ea vos pla- ne fugere existimemus, quorum animos ad omnes re- rum

rerū humanarum vices fortiter excipiendas jam præparatos novimus, sed quod luctus & mœroris magnitudine quasi obrutis, non ita omnia, quæ mitigando dolori, leniendæ & ægritudini factura sint, occurrere arbitremur.


Vos verò, CIVES ACADEMICI, frequenter honestissimæ MATRONÆ ite exequias, atq; ita ultimum humanitatis prompti lubentesq; præstate officium, D E Oq; O P T. M A X. utramq; R E M P. literariam ac politicam piis devotisq; precibus unanimes commendate.

P. P. sub Sigillo RECTORATUS.

Convenietur in Æde divæ MARIÆ sacra,
Horâ I. pomerid.



aut quavis alia incubentis morbi v
 ubi fallaciæ, fraudes, doli, invidiæ lo
 nullum. Ubi DEUS omnia est in
 cemodi idem ipse gaudia præstat,
 sunt ulli, nec ulli hominum cordic
 Sic itaq; vos geretis, ut non tam ob
 ægrè ferre, quām felicitatem, cui ni
 minimè eidem invidere videamini.
 jam publicas clades, Turcarum pro
 nes, imperiorumq; ruinas ; quarum
 jam pars maxima sumus. Non ve
 gemus, utsiccis planè FUNUS hoc
 quamini, sed nec SOLONEM Ath
 piens fuit unus ex septē, & legis scrip
 in hoc domestico luctu imitemini:
 ex Nuncio à Thalete subornato, mo
 perat, ita consternatus fuisse dicitur
 te totus conciderit, humili prostratu
 utraq; manu evulserit, capillos vellio
 tio quietior futurus) injectu pulve
 lium disciderit, planctuq; & ejulat
 summa spectantium admiratione
 universum complevit forum. Luge
 sâ: Cavete tamen lugeatis sine mo
 proponere sub finem voluimus, no
 n fugere existimemus, quorum an



queretur:
 uræ sunt
 Ubie jesus-
 culo visa
 ceptaq;
 ratissimæ
 ripta est,
 spectat
 rruptio-
 elix ætas
 obis exi-
 culis se-
 qui sa-
 x septē,
 aquam,
 sui acce-
 o repen-
 barbam
 in calvi-
 rit, pal-
 i, cum.,
 natione
 ine cau-
 que hæc
 vos pla-
 nnes re-
 rum